



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra**

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ, 1715**

**VD18 10988289**

25. Augusti. Plùs ad animarum curam facit uncia sanctitatis cum præclara sanitate corporis, quàm præclara sanctitas cum uncia sanitatis. S. Ign. ap. Lyræ. f. 353.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

Nihil omni ex parte perfectum. Creatura omnia sunt nævis obnoxia ; illa censenda sunt optima , quæ paucissimis. Etiam sol facit umbras , non ideo proscribendus à publico.

25. Augusti.

*Plus ad animarum curam facit uncia sanctitatis cum præclara sanitate corporis, quam præclara sanctitas cum uncia sanitatis. S. Ign. ap. Lyræ. f. 353.*

**M**agnum Ascetam inter, & Apostolum discrimen intercedit : ille licet ægrotus muneris sui partes explet omnes, iste nec attingit. Totum illius officium ad intra, hujus ad extra fertur.

Quod gladius sinè capulo, hoc zelus est absque viribus, neuter, quod vult, efficit. Magnus animus sine corporis valetudine corpus est sinè manu; pondus facit, munus non exercet.

Sanitas te conservat, sed aliis prodest; ut non sibi, sed aliis vivit; sic non sibi, sed aliis suam fovet sanitatem, sinè qua magnus licet sanctus foret, nullus erit Apostolus.

Ità tamen curanda sanitas, ne officiat san-

**M**

**Etis**

Stitati. Sæpe nihil magis officit sanctitati,  
quàm nimia cura sanitatis, cujus prætextu  
vivunt vitia, palliantur passionēs. Hæc sa-  
nitas non adjuvat zelum, sed pessumdat.

26. Augusti.

*Posuítne te Deus in mundo, ut hic viveres,  
quasi cælum, & infernus non esset? vel  
salvari res est tam facilis, ut eam ne  
curare quidem sit opus? S. Ignat. epist.  
ad Eccles.*

**H**Eu! quàm crassâ æternorum incuria  
laborat Orbis, vivitur ut vivatur,  
quasi nunquam morituri, futurorum im-  
memores vivimus, quasi nullus esset vel  
vindex scelerum, vel meritorum remunera-  
tor.

Scelera nempe ità lumen rationis eli-  
dunt, & ità densâ caligine passio intelle-  
ctum obruit, ut de æternis cogitare vel  
tædeat maximè, vel minimè profit, sensu  
sum omnem elidente acediâ.

Catholicos nos dicimus nomine, mor-  
ribus negamus, atheis, imò animalibus  
propiores, quia toti in sensu, cum os ho-  
mini sublime natura dederit, cælumque  
tueri jussit, ut quò, quãve tendendum sit,  
edoceret.